



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,  
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

**Eck, Johannes**

**Antverpiae, 1541**

18 De votis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35599**

DE VOTIS. 109

fuit sacrificium in veteri testamen-  
to, ita sit iuge sacrificiū in lege gra-  
tiae Christus Iesus saluator noster,  
nisi dū Antichristus aduenerit, tunc  
cessabit ad tempus: vide libros no-  
stros tres de sacrificio missae ad re-  
gem Poloniae.

DE VOTIS

XVIII.

Vota esse reddenda scriptura do-  
cet, natura dicit, & hone-  
stas imperat.

**I**acob. vouit Domino in Bethel. Gen. 28  
Quum votum voueris domino Deut. 23  
Ideo tuo, non tarderis reddere,  
quia requirit illud dñs deus tuus, &  
si moratus fueris, reputabitur tibi  
in peccatū, si nolueris polliceri absq̃  
peccato eris. Quod aut̃ semel egres-  
sum est de labijs tuis obseruabis, &  
facies sicut promisisti domino Deo  
tuo, & propria voluntate, & ore tuo  
loquutus es.

Animal quod immolari potest, si Leuit. 27

P quis

## DE VOTIS

quis vouerit, sanctum erit & mutari non poterit, nec melius malo, nec peius bono. Omne quod domino consecratur, siue homo fuerit siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit domino.

Ista est lex Nazaræi, quum vouerit oblationem suam domino tempore consecrationis sue, & ab initio

**Num. 6** Vir siue mulier quum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint domino consecrare, a vino & omni quod inebriare potest, abstinent, infra: Uuas recentes siccasque non comedent &c. Nouacula non ascendant super caput eius.

**Num. 30** Quando votum mulieris obliget, dominus decreuit in Numeris.

**Psal. 75** Vouete & reddite domino vestro, omnes qui in circuitu eius offertis munera.

Vota mea reddam in conspectu om-

omnium.

Tibi reddam vota mea, quæ dixerunt &c. Psal. 65

Sapiens ait: Vota iustorum placabilia. Pro. 15

Si quid vouisti deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio, sed quodcumque uoueris, redde, multoq; melius est non uouere, quam post votum promissa non reddere. Eccle. 5

Esaias ait. In die illa s. Euangelij Esai. 18  
colent eum hostijs & muneribus, & vota uouebunt domino & soluent, & placabitur illis, & sanabit eos.

Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciēs, immolat debile domino. Quia rex magnus ego, dicit dominus. Malac. 1

Adolescentiores uiduas deuita, quā enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Si uiduæ iuniores damnationem habent, quia primam fidem

P 2 irri-

## DE VOTIS

irritam fecerunt, quid tunc de Monachis fratribus, & Nonnis nostris Lutheranis, sacrilegis, fornicatoribus & adulteris?

S. Marcus in Alexandria erexit Semmō. i. monasteria, teste Eusebio & Philemone.

**Nier. 33** Rechabitzæ dixerunt. Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsq; in sempiternū, & domū non edificabitis, & sementem nō seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, &c. & commendantur ibi à domino.

¶ Secundum Axioma.

Et vota perpetua esse meliora, propter perseuerantiam.

**Phil. 1** Confido in hoc ipsum, quia qui cepit opus bonum in vobis perficiet vsq; in diem Iesu Christi: vbi est fides Lutheri quæ omnia potest.

Quæ

Omnia possum in eo qui me con- Ibidem &  
fortat.

Hæc dicit dominus eunuchis, qui Esa. 56  
custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locū, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit: ecce plus meremur ex voto.

Sunt eunuchi qui seipso castrantur propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat. Mat. 19

Dico autem non nuptis, & viduis 1. Cor. 7  
bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego, quod si se non continēt, nubant. infra: De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus à domino, ut sim fidelis. Constat iure diuino licitum esse vouere, & præceptum exequi de continendo, de nō bibendo vinum, &c.

Fidelis est deus, qui non patietur 1. Cor. 10

P 3      vos

## DE VOTIS

vos tentari, supra id quod potestis  
sed faciet etiam cum tētatione pro  
mentum vt possitis sustinere.

Paulus Teclam in Iconio. Clemēs  
Domicillam Romæ.

Matthæus Iphigeniam cum mul-  
tis virginibus cōsecrauit, & Faustus  
fatetur, filiæ Philippi seruauerunt  
yirginitatem.

Dionysius in epistola ad Caium  
meminit claustralium, & appellat  
eos cultores, & cultrices, therapcu-  
tas, similiter Ignatius in epistola ad  
Tarsen. firmat.

Tertullianus tempore martyrum  
scripsit de velandis virginibus,

¶ Obijciunt hæretici.

1 Christus donauit nobis liberta-  
tem, vota redigunt in seruitutem.

2 Christus voluit consilia esse libe-  
ra, & votarij faciunt illa præcepta,

3 Sunt adinventiones humanæ, &  
addunt ad scripturam Deuter. 12.

Non addas ad verbum quod loquu-

tus

tus sum, nec minuas. Apocaly. 22. Si quis apposuerit ad hæc, apponet deus super illum plagas scriptas, in hoc libro.

4 Vota non renouant internum hominem, sed solum exteriora opera, quæ magis hypocritas faciunt, quàm sanctos, ideo dixit Paulus: Exerce te ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet. 1. Tim. 4

5 Porro opera illa externa extinguunt fidem, eneruant spem, cum illis fidentur, plus quàm misericordiam dei.

6 Votarij traditiones suas pluris ducunt quàm mandata dei. Luc. 11. Vae vobis scribæ & pharisæi, qui decimatis mentam & rutam, & quoduis olus, & præteritis iudicium & charitatem dei.

7 Baptismo fidelis est astrictus ad regulam euangelicam, presumptuosum est, se velle ad maiorem regulam coartare, cum omni conatu nõ

## DE VOTIS

possit plus præstare.

¶ Respondet votarius  
Christianus.

**De primo** Vota bene redigunt in seruitutem  
Christi, at hæc seruitus est summa li-  
bertas. Vnde apost. Liberati à pecca-  
to serui facti estis iustitiæ, & deo.  
Imo seruire deo, est regnare cum ip-  
so. Vnde obligatio ad voti redditio-  
**2. Pet. 2** nē in nullo repugnat libertati Chri-  
stianæ, eoque sicut obligatio ad præ-  
ceptorum adimplerionem, & sicut  
preceptorū trāsgressio, ita & votorū  
non obseruantia, deijcit in seruitu-  
tē peccati. Vnde Lutherani votorū  
suorum transgressores, serui sunt  
corruptionis turpissimi.

**De secūdo** Consilia sunt libera in communi  
**Co. de pa-** sed accedente promissione, fiunt ob-  
**ctis l. pacta** ligatoria, de hominibus ait prætor  
pactum seruabo, cur deo pacta non  
seruaremus? Ideo deus non præcipit  
vota fieri, sed vota reddi.

Vt enim matrimonium ante con-  
tra-

tractum liberum est, vbi autem con-  
tractum fuerit firmum & indissolu-  
bile est, adeoq; necessariū, vt citra **Mat. 20**  
grāde piaculū (extra seruatoris ca-  
sum) diuortiū cogitari nō possit. Ita  
& de voto: vnde Innocentius papa  
3. Licet vniuersis sit liberū arbitriū  
in vouendo, vsq; adeo tamen solu-  
tio necessaria est post votum, vt si-  
ne proprię salutis dispendio, alicui  
nō liceat resilire, vnde saluator: Ne  
mo mittens manū suā ad arātrum,  
& respiciens retro, aptus est regno **Luc. 9. 61**  
dei. Et memores estote vxoris Loth **Gen. 19**  
que retro respiciens, conuersa est in **Mat. 10**  
statuam salis. Qui autem perseue- **& 24**  
rauerit vsque in finē, hic saluus erit **2. Thess. 1. 8**  
Et apostolus: Tantū qui tenet nūc,  
teneat, donec de medio fiat, idest, vs **Pro. 20**  
que ad mortem. Ruina enim est ho-  
mini deuotare sanctos, & post vota **Mat. 23**  
retractare. Reddite igitur dō votarij  
quę sunt dei (hoc est vota vestra)  
deo, vt salui fieri mereamini.

P 5 Et si

## DE VOTIS

**De tertio** Et si regulæ monachorum, & fratrum ab hominibus sint condite, fiunt tamen, & fundantur in sacris literis, nã in his nihil aliud habetur, quàm saluberrima monita euangelij, & compendiarie illius vie. Quomodo nihil debeat addi sacris literis, fuit dictum obiectione, 2. loco. 13

**De quarto** Opera externa à regulis dictata non renouant hominẽ internũ, tamen adiuuant spiritũ, ne nimiũ corpus aggrauet animã. Quę si fiant solum vt videantur ab hominibus hypocritica sunt, si ad gloriã dei, laudabilia. Apostolus nõ vult nihil esse exercitationem corpoream, sed modicam esse, si ad pietatem cõferatur.

**De quinto** Adeo externa opera non exigunt fidem, vt illis maxime nutriatur, quia fides sine operibus mortua est. **Iaco. 2** At si quis in operibus præsumeret, iam ille merito reus esset. Si feceritis omnia quę præcepta sunt vobis, **Luc. 17** dicite, quia serui inutiles sumus.

Qui

Qui negligunt præcepta dei male De sexto  
faciunt, siue sint religiosi, siue laici.

Vt commodius religiosi perficiant De septio  
præcepta euangelica, & quod in ba-  
ptismo promiserunt, ideo vouent re-  
gulas tanquam promouëtia, vt ex-  
pedite deo seruiant.

Copiose de votis scripsit Schatzge-  
rus: vide Dietenbergium, ac nostras  
conclusiones. 160. de votis, & Chri-  
ho. 56. su. Mat. qui tres libros scripsit  
in defensionem Monastices. Varieta  
tem rituum, ceremoniarum, abstinencia-  
rum, exercitiorum, habituum, &  
id genus aliorum, in diuersis ordini-  
bus religionis statui perfectionive  
nihil obsistere, ex Christo seruatore  
suoque baptista Ioanne, & vtriusque di-  
scipulis liquido constat. Hic enim  
habebat vestem de pilis camelorum  
escaque eius erant locustæ, & mel  
syluestre, vinum, & ficeram non bi-  
bit. Ille vero veste, cibo, potuque vte-  
batur communibus, vnde ait: Venit  
Ioan-

Appēdix  
Tilmanni

Mat. 3  
Luc. 3

## DE VOTIS

Mat. II Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis, manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorū, & peccatorum amicus. Atqui vt tunc inuidi Iudæi de vtroq; temerarie peruerseq; iudicabant, ita & modo impij hæretici de religiosis. At coherceāt, corrigantq; linguā maledicam blaterantes eorum vota, diabolica figmenta, nisi forte excæcatis excæciores Iudæis malint dicere Christum, nō vt illi hominem voracem, vini potatorem, & habere dæmoniū, cum magis ipsissimum diabolum, eiusq; euangelium, non diuinā sed diabolicam asserere doctrinam, quod quā aperte ex hac eorū hæresi sequatur, patet sic ratiocinādo. Vota religiosorū sunt figmēta diabolica. At Christus hæc cōsuluit in Euangelio, ergo Christus est diabolus, eiusq; Euangelium diabolicū,  
ma-

## DE VOTIS.

113

maior est hæreticorū, minor Christi & Pauli, vt patet ex supra dictis. Cōclusio sequitur sylogistice ex præmissis. Ecce in quantā incidunt blasphemiam blasphemi hæretici. Sed telum hoc in eos retorquendo, subsumatur sub mox illata cōclusionē prosylogifando hoc pacto: Christum autē dicere diabolum, diabolicumq; eius euangelium, impium est, hæreticum & blasphemū, imo nihil magis impium hæreticum, aut blasphemum. Sunt proinde dicētes vota monastica diabolica, impijssimi hæretici, atq; diabolicissimi blasphemij. Religiosi vero votarij reddētes vota sua domino, piij catholici, veri q; Evangelici Christiani, eorumq; vota pia, euangelica & vere Christiana. Tantum abest, vt dicātur impia, & diabolica figmenta.

## DE COELIBATV

Clericorum XIX.

Quæstio